Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 631

Quelle:
Copyright:

notitia apochriphorum uel hereſum a gelaſio romane eccleſie epiſcopo conſtituta.

V. *fol.* 34. p. 2. *Incipit epiſtola ſancti auguſtini epiſcopi ad ſimplicianum epiſcopum.* Ita: *Plenas bonorum gaudiorum litteras* &c. Extat Edit. *Maur.* T. II. *n.* XXXVII. *col.* 81. et rurſus T. VI. *col.* 79. ante II. *Libros de diverſis Quaeſtionibus* ad eund. *Simplicianum.* Adhaeret Epiſtolae, neſcio cur, *Libri II. Quaeſtio 3. col.* 115. de *Saule, Samuele* et *Pythoniſſa.*

VI. *fol.* 35. p. 2. *Incipit epiſtola beati hieronymi ad euangelum presbyterum, quomodo presbyter et diaconus diferant.* Initium: *Legimus in iſaia* &c. Extat Edit. *Vallarſ.* T. I. *col.* 1074. Nihil in noſtro Exemplo poſt *Tanim* de *Guarmatia* ſive *Wormatia*, unde conualeſcit *Victorii* opinio, hanc tempore primum *Burchardi* irrepſiſſe.

VII. *fol.* 36. *Incipiunt capitula ſanctorum patrum.* Initium: *Et ne forte aliquis dicat, quod inſinuatio gratie rudis ſit ac nouella et a nullo alio tam deliberate et tam frequenter quomodo a ſancto auguſtino epiſcopo commendata eſt, quid et inde Innocentius papa urbis rome in ſede apoſtolica conſtitutus predicauerit, quid etiam ſanctus ambroſius mediolanenſis epiſcopus ſenſerit, quid ſanctus hieronymus presbyter inſinuauerit, aliqua ex ipſorum libris capitula adhibenda credidimus, ut qui rome hucusque plus quam oportuit incaute et ſimpliciter credidit, ad tantorum patrum regulam animum ſuum inclinare et adcommodare non dubitet.* Sequuntur igitur XVII. horum Patrum Loca pro ſententia catholica de Gratia et libero Arbitrio. Excerpta haec putem e cujusdam *Romanae* Synodi Actis, aut Pontificis Literis poſt *Caeſarii Arelat.* et *Fulgentii Ruſp.* tempora, neque memini, me edita legiſſe.

VIII. *fol.* 38. *Incipit liber beati auguſtini in regulis LVIII. ad aedificationem catholice fidei.* Sed opportune coaeva manus ſuperſcripſit: *ſunt gennadii presbyteri maſſilienſis.* Huic enim rite tribuuntur in Edit. *Maur.* T. VIII. *Append. col.* 75. Initium: *Credimus unum eſſe deum patrem* &c. Finis in editis: *ſimilitudinem in moribus inueniri;* in Codice: *maſculum et feminam creavit eos;* nam 9. lineis ultra procurrit.

IX. *fol.* 42. p. 2. *Incipit ſancti hieronymi ad domnionem.* Epiſtola videlicet T. I. Edit. *Vallarſ. col.* 234. quae orditur: *Literae tuae et amorem pariter ſonant* &c. Verum in Cod. abrumpitur in his verbis: *in utramque partem, hoc eſt* ——. Noto tamen, in hoc Fragmento pro αὐτοδίδακτος legi θεοδίδακτος, quod in ſuis non invenit *Vallarſius.* Ceterum lectionem hactenus relatorum per ſe difficilem difficiliorem reddit conditio Codicis *reſcripti;* continebant enim hae Membranae ſplendidiſſimum olim, et Seculi, ut videtur, V. Exemplum *Pharſaliae Lucani* litera quadrata luculenta exaratum, quod ita abraſit infelix ignorantia,

ut